



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. Quid est Emptio, & Venditio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

gotium alterius diligenter administrare tanquam suum; & refarcire damna absenti illata ex eius culpa lata; imò levi, saltem si alius diligentior negotium illud suscepturus esset. *Instit. de oblig. & l. 20. Cod. de negot. gest.* quia is, qui alterius negotium suscipit, diligentiam suam, ac industriam promittere censetur, quam proinde saltem ordinariam adhibere tenetur. Absens verò tenetur ei impensas, & damna ex negotii administratione secuta compensare, & operæ mercedem congruentem solvere: & si recuset, datur actio contra eum, *l. 2 ff. de negot. gest.* idque etiamsi negotium malè succedat, modò negotii gestor prudentiam, & diligentiam debitam adhibuerit: nam cum res ipsa, & bonum commune postulet, ut res, & negotia absentium administrantur; æquum est impensas ea de causa factas, operas, & damna secuta compensari ei, qui talia negotia gessit. Hic autem rationem expensi & recepti reddere debet, *Instit. de obligat.*

## CAPUT V.

*De Emptione, & Venditione.*

Q. I. Quid est Emptio, & Venditio?

Resp. Q Emptio est pactio pretii dandi pro merce. Venditio est pactio mercis dandæ pro pretio. Unde realiter utraque non est nisi unus

Tom. II,

Ii

con-



contractus mutuus, qui absque traditione rei aut pretii perficitur solo consensu partium exterius significato, quo se mutuò obligant, venditor quidem ad mercem tradendam, emptor verò ad pretium solvendum, l. 1. ff. de contrab. empt. & Instit. l. 3. tit. 24. Tamen sine traditione non habet ultimum suum complementum, nec transfertur dominium. At non idè licet uni contrahentium altero invito ante traditionem à conventionem discedere l. 3. Cod. de rescind. vendit. nam pacta obligant in conscientia.

*An autem cum arrha datur, liceat resilire cum sola illius jactura?*

Respondet De Lugo hoc pendere ex consuetudine, quæ intentionem contrahentium optimè declarat. Quare si usus est, ut cum sola jactura arrhæ impunè recedant, ea solum videtur intentio. Alioqui censetur data arrha ad securitatem obligationis contractæ etiam ex parte dantis, qui eam implere debeat.

*Utriusque contractûs justitia in æquali valore mercis, & pretii consistit. Merx est res quævis pretio temporali æstimabilis, & parabilis. Pretium verò est pecunia, quæ inventa est, ut sit mensura, & pretium omnium, quæ in contractus humanos venire solent: nam ante usum pecuniæ erat solum permutatio, quæ est pactio mercis pro merce, vel etiam*

nunc



nunc pecuniæ pro pecunia præfenti. Requiritur autem ut pretium sit definitum, l. 35. ff. *de contrab. empt.*

*Not.* Cum res venditur, censetur cum ea vendi id omne, - quod est pars illius, vel cum ea connexum, & ejus accessorium, nisi expressè excepiatur. Sic fundo empto censentur arbores in eo confitæ, & fructus pendentes vendi; nam fructus rei cohærentes censentur pars illius, l. 44. ff. *de rei vindict.* Secus de fructibus avulsis.

Q. 2. *Quodnam est pretium justum rerum venalium?*

*Resp.* Justum pretium est illud, quod æquat valorem rei venalis. Duplex est, scilicet legitimum, & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Pretium legitimum est illud, quod lege Principis, vel Magistratûs decreto constitutum est. Vulgare est, quod communi hominum æstimatione constituitur, spectatis mercium copia, vel penuria, venditorum impensis, labore, periculis, modo vendendi, emptorum multitudine, vel paucitate, &c. seclusis fraudibus, ac monopolis injustis, juxta, l. *pretia*. ff. *ad legem falcid.* *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* hoc est, definiuntur.

Hinc pretium justum, & injustum potest esse diversum in diversis locis, & temporibus